

pibus & populo Francorum electum: quæ etiam verba sunt Witi-
chindi lib. 2. Et Hrosuitha de eodem: *Et voto cunctiam respondente popelli
Vngitur in Regem.* Imò etiam de Friderico I. quasi nondum notis ele-
ctoribus, ita scribit Guilelmus Brito lib. 3. Philippidos:

*Est etenim talis dynastia Theutonicorum,
Ut nullus regnat super illos, ni prius illum
Eligat unanimis cleri procerumq; voluntas.
Alemania separata) Guntherus lib. 1. Ligurini:*

*At simul à nostro secessit Gallia regno,
Nos priscum regni morem servamus: at illa
Iure suo gaudet, nostræ iam nescia legis.*

De quo & plura vide infra ad Pebenburg. pag. 50.

Reges Romanorum) nec aliud nomen usurpabant: imò Reges sim-
pliciter plerunque se dicebant, vide not. ad Lupoldum Bebenpurg.
pag. 39.

Pag. 79 Gregorii V. tempore.) Papius Massonus diligentissimus
scriptor, ponit Electores institutos à Sergio Papa IV. in Episc. Rom.
pag. 172 b. Cæterum de Ottone III. & Gregorio V. communis & con-
stans est traditio, non solum Chronographorum Germaniæ, quos e-
numerare longum foret, quibus annumerare licet etiam Martinum
Polonum, Antonium Florentinum, Math. Westmonasteriensem,
Joh. Facagniotam aliosq; extraneos: sed etiam Jurisconsultorum, è
quorum numero Alberic. de Rosate in Lex. verbo Electores, Restaur.
Castaldus de Imperat. q. 8 Alphons. Alvarez Spec. Pontif. Imp. c. 56 Bel-
luga Spec. Princip. rubr. 14 §. veniamus. num. 23. Lancelot. in temp.
Iudic. lib. 1 §. 2. tit. de Elect. è Gallis, Chassaneus in Glor. Mundi,
Choppin. de doman. Franc. lib. 2. tit. 14. num. 14. & tit. 26. num.
3. Petr. Gregor. lib. 6. de Repub. cap. 13. & lib. 7. cap. 19. & alii
complures.

Quatuor laici, tres clerici.) Qui numerus ad tam strictam obser-
vantiam redactus est, ut cum Maximilianus I. Imp. aliquando Ele-
ctores pertentaret, quo jus suffragii in electione Imperatoris Archi-
ducibus Austriæ communicarent, nihil effecerit, ut scribit Hartman.
Maurus de electio, Caroli V.

Rex Bohemia, olim Dux.) Aliquoties regium nomen Duces Bo-
hemie